



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tuba Tragica, Seu Historiæ Horroris Plenæ Dominicis Per
Annum Concionatorio ritu aptatæ, Quibus ad oculum
ostenditur, quàm acribus pœnis flagitia proscindat
scelerum Ultor Deus**

Selhamer, Christoph

Norinbergæ, Anno Gratiaë M.DC.XCIX.

Concio XXIII. Dom. IV. post Pascha. Perjurii pœna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52721)

CONCIO XXIII.
DOMINICA IV. POST
PASCHA.

*Arguet mundum de peccato, & de Justitia,
Joan. 16.*

Perjurii pœna.

Mirabilem hodie sententiam ore promit Joannes Opt. AA. *Arguet mundum de justitia Deus.* Quis hoc rei? argui de peccato mundum ritè ac legitime, nemo est qui miretur; contrarium potius summam pareret admirationem; si nullum justus Deus suo de peccato argueret. Non esset Deus nisi scelera redargueret & puniret, unde saniora discant percussi juxta illud:

Oderunt peccare boni virtutis amore,

Oderunt peccare mali formidine pœnae.

A.
De qua
Justitia
mundus
arguitur.

At cur Deus mundum arguat *de justitia*? an iniquum fuerit, & pœnâ ultrice dignum, si Justitiæ virtus fortiter propugnaret? nunquid palmaris virtus est Justitia, quæ pari passu ambulat cum pietate, cum religione & timore Dei? unde pœnè omnes Principes hodie tritum illud lemma tuentur: *pietate ac justitia*, quasi dicerent, his binis velut herculeis columnis innixam stare totius regni ac provinciæ felicitatem, his dirutis, subruunt pariter bonum publicum & privatum. Antequam Clodoveus Rex Galliæ à S. Remigio sacris Baptismi fontibus oblueretur, hanc Pontifici quæstionem proposuit enodandam Rex: *Dic, quamdiu stabit Gallorum Monarchia?* audiatur modò cædipus mitratus: *quamdiu stabunt pietas & justitia?* Væ igitur toti regno, ubi justitiâ in exilium actâ, contra pacis fœdera, bellò injustissimò provinciæ petuntur & excinduntur. Timeo, ne ora-

culi præsentis veritas tandem prodeat in apricum. Sed ad rem. Cur Deus mundum de justitia regnorum basi ac fundamento arguere præsumit? nunquid candidè inquit Bles. (1) *ac-* (1) Pet. Bles. ep. 95.
ceptior est apud Deum justitia quam præbenda? quis autem ignorat, quantis gratiis, quantis à Deo privilegiis sit dotata sacra Eleemosyna, quam hic sub voce *præbenda* intelligit Blesensis, pro quanta merces unico aquæ potui pauperibus ministrato cœlitus decreta est! nunquid uni ex minimis exhibita beneficia, tanquam sibi facta Deus reputat? & jam mundum de justitia redarguat, si ea fortiter in terris defendatur? id verè dixerim paradoxum, & Divina Majestate indignum. Dil. AA. nos nimium debiles sumus & infirmi, ut hunc gordium extricemus. Inquiratur, quid de hoc dubio sentiat Scriptura, & SS. Patres Scripturæ interpretes. Hi totam quæstionem ad oculum expedient.

Binis modis hæc sententia explicatur, primò juxta mentem Scripturæ, & secundò juxta sensum S. P. Bernardi. Est commune diverbium: omne nimium vertitur in vitium. Nihil parum & nimis multum, utrumque vitiosum: illud defectu peccat, hoc excessu. Aliqui sanctam justitiam nimis parvi pendunt, alii eam nimis extollunt. Parvi faciunt justitiam, qui eam, prout Christum Dominum & Magistrum suum perditus Judas, bolò vendunt pecuniariò, seque stygiis illini patiuntur unguentis, ut jura pro lubitu inflectant, licet sæpius talis decisio Divinis, legibus & conscientiæ propriæ stentorea voce reclamet; hic colligi videas studiosissimè abstrusos textus & sententias ambidextras, easque in favorem causæ pessimæ audias explanari, ut fuco quocunque justitia decoloretur, ubi potius rejecta larvâ, sibiò ac cerusâ, summa iniquitas & injustitia grassatur. Hic nulla causa tam nulla est, nulla lis tam perditæ est, nulla controversia usque ad eò conclamata est, quæ non textu aliquo heteroclitico pessimè assumpto, tanquam nequitia latentis palliò vestiatur, ut illi totaliter adjudicetur, qui potius furcam meretur. Hi justitiam habent locò nimis lurido & modicò, quia velut alteri Judæ germani fratres cuiusvis licitatori sacram justitiæ virtutem lucri gratiâ venum-exponunt. Id quod

B,
 Peccatur
 contra
 justitiam
 per excessum &
 per defectum.

Defectus.

quod pridem queri auditus est candidus Poëta, aurò justitiam
proscindi; lucrò fas omne abrumpi:

Aurò pulsa fides, aurò venalia jura;

Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

Hinc nulla æquitas in tribunalibus; nulla severitas in pœnis,
nulla fides in testibus, nulla ratio in judiciis, nulla gravitas in
confessibus, nulla maturatio in decidendis causis.

(2) Prov. 7.
Excessus,

S. Scriptura paulò aliter loqui videtur: (2) *noli esse justus
multum*, ubi alii legunt, *noli esse nimium justus*, quasi verbò
excessivè possit contra justitiam peccari. Peccatur utique per
excessum in virtutem justitiam; sicut hætenus monstravimus
per defectum peccari, ut si unguentis vendatur, tum in scelerum
expiatione, tum in officiorum ac munerum dispensatione,
ita jam probabimus, etiam per excessum justitiam conspurcari;
quidni Deus de justitia redarguat peccantem mundum? Nimis
multum justitiam extollunt, qui se ipsos cum Phariseo Evangelico
nimis justos esse reputant, alios tanquam injustos despiciatui
habendo. Nimis arctè justitiam premunt, qui ad urnam sedent
Jurium Præsides, omnes colliculos solo æquatorum volunt,
omnes peccati nævos extinctum eunt, omnes festucas alienis
oculis extrahere satagunt, cum ipsi sæpè hac illac rimòs
perpluant, & horridas trabes propriis circumferant. Verbò,
qui nihil penitus connivere sciunt, & infirmis nolunt condolere,
sed quidquid sceleris deprehendunt, ocuis acerrimis etiam pœnis
proscindunt, sibi molles, aliis omnibus austri, sibi lenes,
aliis asperi ac hirsuti. Talis ille fuit sacros intra parietes
ferox Radamanthus, cui vicissim nigros dentes dicax frater
sequentibus rythmis infixit:

I.

*Plectis in me parvas labe,
Et non vides tuas trabes
Inter ocularia.*

II.

*O Ripaldum! ô portentum!
Dignum Caput diris centum?
Sit tibi stranguria. &c.*

. Bern 8

S. Bernardus (3) dedit olim Eugenio Summo Pontifici & supremo Animarum Reſtori præclarum hoc conſilium: *Reſtor* (3) S. Bern. ad Eug. *omnia videat, multa diſſimulet, & pauca caſtiget.* Sequen-
 tibꝫ lineis actũ nuncupat, quos velit ad pœnam trahi, eos ſcilicet, qui ſua in pravitare aliquam contumaciam oſtentant, & in malo callum ardent obducere; hos ante alios omnes puniat, premat, torqueat, affligat, ut ſuppliciorum metu à vitiiſ abſtracti colla Deo ſubmittant & Virtuti. In hiſ tamen pœniſ etiam medium Eugenio comendat, ut ne quidem in contumaces & refractarios nimis præcipitanter ac velociter, nimis durè, nimis acriter animadvertat. *Noli eſſe nimium juſtus.* Ubi conniventibus oculiſ palmare flagitium diſſimulatur, Sancta Juſtitia pedibus conculcatur; ubi modicus etiam exceſſus, & leviuſcula exerratio mox ſudibus præuſſiſ diſcutitur, iterum Juſtitia graviffimè violatur. *Menſuram ſerva, modus eſt in re optimuſ omni,* canit Heſioduſ. Hic certa methoduſ teneatur ac menſura, ne ex juſtitia iniquitaſ exceſcat. Etiam ut juſti coli volunt iudiceſ illiſ, qui ſæpè in plebeiſ gravi pecuniarum mole ſceluſ vindicant, quod in aliſ grandioribuſ nequidem ſuggillant, cujuſ praxiſ hodie paſſim increbuit, juxta illud Poëtæ:

*Aſſolvit corvoſ, vexat cenſura columbaſ,
 Irretit muſcaſ, dimittit aranea veſpaſ.*

Hic mundi noſtri curſuſ eſt; hæc pseudo-politica ratio ſtatùſ eſt hõc ævõ ubique locorum. Cur ergõ Deuſ tam impiam juſtitiam, quam veriuſ dixeris palmarem injuſtitiam, non palam redarguat, pleſtat & caſtiget! porrõ nimium juſti eſſe volunt, qui ſibi perſuadent, ſalva eſſe omnia, ſi preceſ præcibuſ accumulentur, ſi templa frequententur, ſi Sacra perpetim obeantur. Sicut in Scripturiſ *juſtuſ* homo aliquotieſ ſumitur pro *pio*, ita pariter ibidem vox *juſtitia* pro *impia pietate*, prout eam S. Hier. (4) nuncupat, ſumi ſolet. Errant hõc graviffimè omneſ, ut loquimur, precatoriſ fra-
 & oratoriæ ſorocet, quæ horat potioreſ preceſ fundendiſ immolant, interim curâ domeſticorum protritâ liberoſ ſuoſ plateiſ inerrare patiuntur, nihil domi ordinant aut laborant.

E e

Hoc

(6) Oleast.
in c. 16.
Deut.

C.
Notæ in
preca-
trices Ber-
tas & ca-
rum rudes
patronos.

(6) S. Pet.
Dam. ep.
ad Cint.

Hoc homuncionum genus bellè depexit Oleaster (7) his ver-
bis: *surrexit nunc novum feminarum genus nolentium laborare,
volentium tota die Ecclesias circumire, hinc inde discurrere, ne
liberos, ne rem domesticam curantium &c.* hæc feminae gra-
viter se atque alios decipiunt; cum enim has Deus ideo fecerit
ædium præfectas, ut rebus præsent domesticis profintque, &
nihil sua ex incuria perire patiantur, ipsæ autem nullam curam
secularibus negotiis impendant, non potest sanè tam inepta
pietate placari. Satius foret, si succincta & fervida pietate con-
tentæ plùs ædibus ac liberis suis invigilarent. Sic sentit &
loquitur Oleaster. Erat olim urbis ac provinciæ adjacentis
præfectus Cintius; hic debebat cuivis jus suum dicere, evol-
vere causas, contraversias planare, judicia judicare justa in-
tegra & suam ad urnam sedere, ut officium Judicis & præ-
fecti ad amissim expleret; is autem horum in vicem obire
templa, manè Sacris assistere, à prandio sacras ædes revifere,
preces & precum officia conduplicare, & justitiam alteri miserè
obeundam committere, ut tantò largius posset precando in-
sistere. Sic causæ in menses protractæ, sic partes controversæ
vel rarò vel nonnisi properanter auditæ, nequid invisæ pietati
subtraheretur. Notavit hæc S. Pet. Damiani Cintio corvus,
vidit unà quàm damnosa esset subditis ejus hæc importuna
& indiscreta pietas; ad eum itaque prolixam epistolam (6)
transmisit, ex qua unum vel alterum fragmentum evolvimus:
*cave, inquit ille, ne propter peculiaris orationis studia,
innumerabilis populi disciplinam, qui tibi commissus est, negligas,
& ob proprium commodum, communem plebis salutem, qua à
te justitiam præstolarur, omittas, quasi diceret S. Pater, Deo
nullatenus probari orationem illam, ex qua tantum boni pu-
blici damnum prognascitur & jactura. Pergit Pater: Scriptum
est, qui conservat legem, multiplicat orationem, & sacrificium
est salutare attendere mandatis.* Petit autem mandatum Di-
vinum à quovis Judice, ut suo ritè officio fungatur, & cuicun-
que seu parvo seu magno, seu civi seu nobili, seu pauperi seu
diviti quocunque tempore justitiam administret, & nulli patia-
tur injuriam irrogari, nulli quæ sua sunt auferri sustineat aut
mutilari.

Eundem

Eundem in sensum loquitur Ludolphus Saxo Carthusianus, & hæc probè no tent omnes seculares & precabundæ mulieres, sæpè suis animarum Curionibus nimis importunæ & contumaces Bertæ: *quidquid justus facit, (7) & dicit secundum Deum, ad orationem est reputandum; nam semper orat, qui semper benè laborat; nec desinit orare, nisi cùm desinit justus esse; orat enim non solum lingua, sed & cor, cogitatio, desiderium, sensus, manus, oculi, & omnis operatio bona.* Hem! non tantum linguâ oratur, sed corde meditando sub ipsis laboribus coelestia & divina; sed *desideriò*; & Deus tam clemens est, ut orandi desiderium pro ipso actu orationis recipiat; sed *manu*, quâ opera etiam manualia ritèprehenduntur & elaborantur, sed *oculis* simul & *manibus*, jam nendo, jam fila ducendo, jam vestes refarciendo, jam domum purgando, jam omnem sorditiam à liberis removendo &c. sed *omni bona operatione* oratur juxta pientissimum Ludolphum. Patet ex dictis facilè, quo sensu sumi debeat S. Paulus, cùm frequentari orationem præcipit: *sine intermissione orate. Oportet nos semper orare &c.* nempe, quem modò dedit Ludolphus: *semper orat, qui semper benè laborat.* Adduxi hæc fusiùs, ut scirent hinc Bertas suas sacro in foro sacri Judices promptius ac velocius expedire, ne per horum conniventiam bonis inhiando, plus boni perdat id, quod cani accidit æsopico carnis umbram avidè sectanti, & bolum pinguem amittenti. Hæc seriò suis si inculcarent, non tot & tanti sacrorum abusus prodirent. In benè ordinatis Religionibus non tolerantur Bertarum oratricum fautores exotici, sed exauctorantur, & in ordinem rediguntur, donec corrigantur; pariunt enim toti cœtui enormes tricas, & plus boni negligunt uni aut alteri Camillæ serviendo, seque ipsos sæpè in grande periculum conjiciunt, ne sacra hæc & nimia cum altero sexu confabulatio, in carnalem amicitiam degeneret, & quod spiritu ceptum est, carne consummetur, ut plura hujusmodi exempla prostant. Leges Societatis tales generis feminini fautores à cathedris & à tribunalibus sacris jubent removeri; similia & alii statuunt, quibus omne commercium cum hoc sexu amputatur; sed utinam speculativas leges sua quoque pari passu practica actuatio sequeretur, non esset, quod

(7) Ludolph
Sax. p. 2.
Vit. Chr.
c. 42.

quod vel in hos vel in illos suam exponerent cacochymiam oculatioribus Argi. Hæc dum scribo, agi audio festum duplex Translationis S. Claræ prodigiosæ Virginis; commodum in calamo præsentis occurrit, quod huic Virgini accidisse prohibet vita Seraphici Patriarchæ Francisci. Ardebat, fieri possset, quotidie Sacerdotum more S. Synaxin adire hæc S. Virgo. Probavit desiderium S. P. Franciscus, at sapius per annum integrum sanctæ Virgini actualem sacerrimæ synaxen usum non indulsit, quàm sexies. Deum bonum! quid ad hæc oratricum Bertarum insolentes patroni? qui suis subinde fororibus mundanis tertio quovis die SS. Synaxia indulgent, quod privilegium nec fratres habent conversi? an hi Bertas suas plurius æstimant, quàm prodigiosam Virginem Claram? an plus secularibus concedatur, quàm concedi soleat monasticis? an plus omnes sapiant quàm humilis Franciscus? Superi saniorum mitto sceminas, & ad historiam propero, quam singulis Dominicis promisi hõc annõ. Ad eam nos manuducet melleus

(8) S. Bern.
Ser. 21.
de parv.

D.
Justitia
malè
ordinata,
summa
injustitia
est.

Pater Bernardus (8) una cum sua nobili explanatione sententiæ hujus: *arguet mundum de peccato, & de justitia.* Quæ est illa culpabilis justitia hoc locõ, quam Deus digito significat loquitur: *Spiritus Sanctus arguet mundum de justitia, quam non ordinat, dum eam sibi dat, non Deo & proximo.* Hic Rhodus, hic saltus. Ex hoc uno capite millies peccatur. Jura sua exactissimè urgent mundani; at quis Deo, quis proximo sua ex integro tuetur? quis jura propriè Divina fortibus ausis propugnat, unde sui census ac reditus annui Ecclesiis, Sacris Anniversariis & Xenodochiis enucleatè colligantur? quanti avidus & avarus Judex, prætor, officialis ac Templorum Curator lucra sua, Deo interim & pauperi Ecclesiæ vel sui derogat vel enervat. Cur non pari sedulitate ac industria Sacra inquiruntur Ecclesiastica & Divina? Curam omnium primam sibi vendicat jus proprium, omnium ultimam jus alienum, jus Divinum. Dicitur tamen justitia sed spuria, sed heteroclitica Bernardo, *quam non ordinat, dum sibi, non Deo dat;* & hanc proprietariam justitiam Deus arguet & acerrimè proscindet. Hic spartham suam probe observent omnes illi quorum curæ ac vigilantie bona commissa sunt Ecclesiastica

corp

bona

bona hospitalium, leprodochiorum sodalitatum, decimæ ac divites eleemosinæ. Censûs proprios totis viribus lapsô annô corradunt: nec malè; id enim justitiâ exigit; si autem suos censûs templis & pauperibus, Deo ac defunctis dilapidari patiantur, pœnam ab illis hujus inordinatæ justitiæ gravissimam sumet ultor Deus, qui sicut primas ubique meretur, ita pariter piæ illius causæ ac jura omnibus aliis præferantur. Pœnas adhuc graviores hic & ibi Deo dabunt, qui jura Deo debita vel pauperibus impudenter abnegant, & quod perperam negant, falso etiam juramentô confirmant, ut ne ipsi appareant injusti. Scio hujusmodi juramentis in rurali Curia depositis & causæ impiæ palam tuendæ iteratis, mutas campanas ultro reclamâsse, ut scirent omnes verba perjuriô plena. Hanc execrabilem justitiâ perjurio larvatam, inusitato pœnarum genere Justum Numen redarguet, cujus vivax exemplum producit Valerianus (9) ordine Capuccinus. Narro totum, sed compendiosè, in gratiam avidissimorum euclionum, qui lucri gratiâ etiam falsissimum jusjurandum vilipendunt. Erat paucis abhinc annis in Corsica pauper vidua tenui quadrâ unâ cum filia domi victitans. Miseratus filiæ jam adultæ cognatus, ante obitum præclaram ei dotem 300. philippeos dono dedit, ut honesto connubio jungeretur. Post mortem mariti curis grandibus mater urgebatur, ubi locorum tutô possint 300. philippeis deponi; statuit tandem pio ut credebat ac justo Civi, cui Mutio nomen, Corsicæ totam summam committere, certa tutiorem locum nullibi prostare quàm in ædibus mutianis, ubi etiam tutô animam cum vita deponeret. Alios nempe suo pede metiebatur optima mulier, in quo tamen se vidit enormiter deceptam, alique iterum novo ex lucro prodigiosè refocillatam. *Auri sacra fames quid non mortalia cogit peccora!* Christum Judas vendidit triginta argenteis, nunc credo aliqui etiam sex crucigeris Christum distraherent. Pecunias inter nullus fidei, nullus amicitie, nullus vicinie locus conceditur. Auri fulgor etiam piissimos exœecat. Huic viduæ longè consultius fuisset, si ipsa summæ depositæ tutriem egisset. Accepit Mutius pecunias & aureos montes viduæ repromisit, sed sine ullis testibus, sine ulla syngrapha,

E e 3

quia

E.
Perjurium
non justifi-
cat sed
damnat.
probat.
(9) Vale-
rian. Venet.
Capuc.
P. t. prate.
Hist.

quia certò sibi persuasit, antè susque deque rotantum orbem
quàm fidem suam tam pius ac probus civis infringeret. Fracta
tamen fuit præter omnem spem & expectationem. *Fide, sed
cui fidas, vide.* Decepit infida fides etiam hanc viduam &
filiam ejus; cum post aliquot annos marito filia traderetur,
promisit vidua viro connubii candidato 300. philippeos in parata
moneta apud Mutium depositos. Sponsus ultrò Mutium petiit,
depositum recepturus. Accessit unà Mutium vidua quò
suum erat repetitura. Prò! quis spumantem & fulminantem
Mutium ritè hic loci depingat? negat pernegat, se ab ea num-
mum accepisse; minas minis addensat, nisi ocius improbi
pedes ædibus efferrent. Acrius in utrumque Mutii prole-
pina detonuit, licet actu præsens fuerit, cum hæc summa
deponeretur. Poterant utique vir ac femina viduæ jura
pessumdare, nullis testibus suffulta, ne tamen questibus suis
& lacrimis cœlos pulsarent, prohibere non poterant. Premi-
non opprimi suos patitur Deus; pronus etiam pauperum voca-
exaudit, quibus è cœlo justitiam efflagitant. Deus animos
viduæ injicit, ut etiam sine testibus Mutium in curia solenni
ritu accuset. Sequitur instinctum vidua, causam movet Mutius,
& coram Senatu omnes circumstantias crediti depositi can-
didè profert, ea fide, ea sinceritate, ut nullus actrici viduæ
fidem derogaret, licet nullis posset testibus assertum firmare.
Vocatur Mutius & uxor ejus, repetit vidua accusationis
puncta, quæ tamen ocius forti cachinno exsufflant, nescire se
an vel unis vicibus ædes suas subintrâssent; cum variis argumen-
tis premerentur, palàm tonant, fulminant, & anathematizant
se nec nummum vidisse. Curia nil boni visa est mens præ-
sagire, ut ne tamen judicia properaret cœca, statuit juramen-
tò totam rei seriem expedire; rogatur adeò Mutius, quot
liberos domi suæ numeraret? tres ocius reponit Mutius; filius
adultior arcto carcere conclusus, & ut ajunt jam capite damna-
tus est, proximè in furcam agendus. Alter quintum ætatis
annum transcendit, 3us duos menses emensus est. Inde magistra-
tus hæc ad Mutium: age itaque, si innocens es, Deo jura pe-
salutem horum trium liberorum te 300. philippeos nec vidisse
nec accepisse. Promptus imperia exsequitur Mutius, tollit
digitos

digitos cum uxore, & ambo jurant perfidè se nil vidisse, nil accepisse. Sic coram iudicio seculari totâ causâ cecidit vidua, etiam infamiâ notata, quòd civem honestum de tanto scelere appellâisset; Mutius contrâ sua cum Xantippe gloriosus, ac triumphabundus domum revertit, quos tamen mox pedepressit sequens Némesis, arguens primò binos liberos, per quorum salutem pejerabant, quàm ipsos ad vindictam raperet parentes. Ut propriis ædibus successerunt, Mutius rectâ in hortum contendit, uxor verò liberos lustratura subit hypocauftum & mox primo videt obtutu infantis cunas omninò versas & extinctum infantem, quinquenni puerulo sub fornacem compunctim sessitante & totis artubus tremiscente; inde cæca mater certò sibi persuasit, à puero tremente tanquam sceleris reo eversas esse cunas, & in cunis confectum esse infantem; mox ergò furere in puerum correpta, rapit cultrum & jugulum secat puello; interim pueri clamore accitus Mutius ex horto irruit & in flagranti uxorem deprehendit; mox itaque Mutius pari furore succensus gladio percutit uxorem suam & perimit, tantos inter clamores, ut mox cædium rumor totam urbem excurreret. Ad Curiam & carcerem retractus Mutius, non cædem tantùm passus est, sed ipsùm etiam perjurium luci gratiâ in Curia commissum. Jacuit hucusque dura sub incude grandium malorum & injuriarum vidua, at at nunc prodigiosa Dei manu in amicam lucem protracta emerfit & revixit. Magistratus visâ evidenti Numinis irati vindictâ, ei sublati Mutii hæredibus, ex instinctu verè Divino in efferum parricidam & perjurum euclionem mirabile iudicium tulit: damnatus est miti ex sententia ad furcam Mutius alta è trabe suspendendus tot funerum reus. At quis munus obeat truculenti carnificis? nullus erat tota in vicinia, qui ad invisos labores opem atque operam conferret. Disponente Deo, fors tandem supra filium cecidit adultum adhuc tetro carcere conclusum, ut si vellet libertatem capeffere, proprio patri suam gulam laqueò frangeret. Ah quid & quantum mali exhauritur, ut vitam in lucro reponas. *Omnia si perdas, vitam servare memento.* Vitæ bono, vitam quam à patre hausit, patri rapere statuit filius, factus proprii patris carnifex, ut vitam

serva-

servaret in annos. Quis non hęc loci judicia Dei adoret, qui sic omnia in pœnam avaritię ac perjurii disposuit. Jugulata patre libertati redditus Mutii filius domum recurrit, ac triplex funus domi reperit infantem versis cunis interentum, jugulò sectum fratrem, & parentem gladio confossam. Hęc inter memorię occurrit manus violenta patri proprio libertatis captandę causa palam injecta, actus inde in desperationem, etiam ipse cultrum rapuit sui que factus est carnifex truculentus, qui paulò ante carnifex fuit parentis. Sic ergò larvatę Mutii justitię quinque funeribus litatum est hęc loci. Viduę contrà non tantùm trecenti philippo adjudicati sunt, sed jussa est totam simul Mutii hæreditatem adire &c. En quid fides ac fiducia in Deum operetur! en perjurii pravitatem! en vim ac potentiam imprecationum, quam liberi suis à parentibus sortiuntur! En justitiam à Deo administratam, cùm ea per mundanos conteritur! en mammonę iniquitatis tragicosexitus, & mille pericula

fati! *Felix quem faciunt aliena pericula
cautum.* Amen.

